

**Dissertatio botanico-medica, in qua Fungus melitensis ... / publice  
ventilationi proponitur a Johanne Pfeiffer.**

**Contributors**

Pfeiffer, Johannes.  
Linné, Carl von, 1707-1778.  
Åkerman, Anders, 1718-1778  
Uppsala universitet.

**Publication/Creation**

Upsaliae : Excud. L.M. Höjer ..., [1755]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/avyrv8dd>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

19

D. D.  
DISSERTATIO BOTANICO-MEDICA,  
IN QUA  
**FUNGUS  
MELITENSIS,**

CUM  
CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MED.  
IN ALMO UPSAL. LYCÆO,

PRÆSIDE,

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**Dn. Doct. CAROLO  
LINNÆO,**

EQUIT. DE STELLA POLARI, ARCHIATR.  
REG. MED. ET BOTAN. PROFESS. ACAD. UPS. HOL-  
MENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL. LONDIN.  
MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO,  
PUBLICÆ VENTILATIONI PROPONITUR

<sup>a</sup>  
**JOHANNE PFEIFFER,**

HOLMENS.  
ALUMNO REGIO.

IN AUD. CAROL. MAJ. D. XX. DEC. A. MDCCLV.  
*H. A. M. S.*

---

UPSALIÆ, Excid. L. M. HØJER, Reg. Acad. Typogr.

S:Æ R:Æ M:TIS  
SUMMÆ FIDEI VIRO,  
Regis Regnique Svio-Gothici

SENATORI,  
Regiorum Ordinum

EQUITI

ET

COMMENDATORI,

Illusterrimo atque Excellentissimo

COMITI ac DOMINO,

DN. CLAUDIO  
STROMBERG,

MÆCENATI INDULGENTISSIMO.

Verecunda. Mente.

Timidoque. Gressu.

Ad. Tua.

VIR. EXCELLENTISSIME.

Juve-

Juvenilis. Mea. Musa. Prorepit.

Pulvinaria.

Plantam. Offerens.

Vile. Admodum. Munus.

Sed. Vero. Animadvertis.

Pietate. Non. Pretio.

Divos. Commoveri.

In. Te. Quidem.

HEROUM. ILLUSTRISSIME.

Aviti. Stemmati. Decus.

Summi. Muneris. Splendorem,

Aulæ. Et. Curiæ. Insignia.

Sed. Et. His. Majora.)

Admiratur.

Virtutem. Atque Scientiam.

Quarum. Illa. Comem.

Hæc. Comitem.

Fecerunt.

TU. Vero. MÆCENAS. EXCELLENTISSIONE.

Quem. Universis. Aditum. Præbes,

Mihi. Uni. Ne. Deneges.

Sunt. Quas. Tacere. Vetat. Religio.

Aliæ. Multæ. Adorandi. TE. Causæ.

Gratiam. Loquor.

Præsidium. Beneficia.

In. Paternam. Domum,

Colla.

Collata.  
Æmula. Ergo. Meorum. Studia.  
In. TE. UNO. Impense. Prædicando.  
Qua. Possum. Ratione. Ut. Imiter.  
Hanc. Chartulam.  
Statuæ. Perennaturæ.  
Niſi. Exilitas. Prohibeat.  
Vicem. Subituram.  
TIBI. Conſecrare.  
Volui. Debui.


ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI  
NOMINIS TUI,

cultor devotissimus,  
JOHAN. PFEIFFER.



## I. N. f. C.

### §. I.



X tanta , quantam alma Natura li-  
beraliter nobis concessit VEGE-  
TABILIUM copiam , non omnes  
simil & semel , sed sensim , tam ra-  
tione multitudinis , quam specialis  
earum structuræ indolisque , dete-  
ctas fuisse deprehendimus . Prius  
quod attinet , aliæ reperiuntur  
plantæ , quæ per totam Europam sponte crescunt , & a  
Tornoa Romam usque diffusæ sunt v. g. Alsine media ;  
aliæ vel summa cacumina , vel valles retortas , vel etiam  
radices montium Alpicorum Riphæorumque amant : aliæ  
vicissitudines frigoris & caloris , umbrasque veris no-  
cturnas , vel solis flamas diurnas , nunquam patiuntur ,  
sic Rubus arcticus , Norlandensibus & Canadensibus per-  
familiaris , vix ac ne vix quidem fert clima Upsaliense ,  
multo minus illarum regionum , quæ magis austrum spe-  
ctant ; aliæ nec calorem urentem æstatis , nec frigus in-  
tensum hyemis tolerant , utpote Oliva ; aliæ demum lo-  
ca potissimum occupant paludosa v. g. Rubus Chamæ-

A

morus ,

*morus*, *Andromeda polifolia*, *Helonias*, *Aletris*, *Sarracena*, &c. quarum culturam hortensem nondum rite dicerunt Botanici. Posterius vero si respexeris, omnino fatendum est, minimas plerumque plantas perspicacissimis Botanicorum oculis diutius sese subduxisse, quales sunt *Montia fontana*, *Queria hispanica*, *Minuartia dichotoma*, *campestris* & *montana*, *Lœflingia hispanica*, *Centunculus minimus*, *Tillæa aquatica* & *muscosa*, *Lysimachia Lignum stellatum* & quæ sunt reliqua.

Quædam vero difficilius a se invicem internoscuntur, propter majorem quam referant similitudinem. Hinc omni oculorum acie opus est ad distingvendum *Gramina*, *Filices*, *Muscos*, *Algæ*, *Fungos*, quorum in numerum referre licet plantam *Cynomorium dictam*, quippe quæ cum ultimis allatis maximam habet conformitatem.

## § II.

Plantarum quædam PARASITICÆ dicuntur, quia vix nisi una cum aliis plantis radieant, quibus quasi insertæ atque insititiæ succum sibi nutrimenti ex hoc ipsarum stamine adscititio aptum & præparatum hauriunt, quibus plantandis, & ad fructificationem perducendis, Botanicis omnis movendus est lapis. Dividuntur vero hæ in tres potissimum phalanges: Prima est earum, quæ radices suas corticibus aliorum fruticum insigunt, & repentes, quo-cunque loco id fieri possit, easdem habent intertextas, succumque, hirudinis instar, totius plantæ eliciunt. Huc referuntur: *Hedera helix*, *Rhus radicans*, *Bignonia radicans*, *Caëti scandentes*, *Epidendrum Vanilla*, *Pothos scandens*, *Cuscuta europæa*, *Cassytha filiformis* &c. Secundi ordinis sunt, quæ radice penitus carentes, unicum tantum locum arborum occupant, & rami aut traducis instar, cum ipso arbore unum totum efficiunt, veluti: *Viscum album*, *rubrum*, *purpureum*, *Opuntioides*, *verticilla-*

ticillatum, *Tillandsiae*, *Renealmiae*, *Asplenium nidus* &  
 variæ *Filices* Indicæ, *Lichenesque* Europæi. Tertia de-  
 nique classis Parasiticæ terrestres comprehendit, quæ non  
 nisi aliarum radicibus se inserunt, & quamvis id habent  
 commune cum reliquis plantis, quod e gremio terræ e-  
 rumpere videantur, nihil tamen minus non progermi-  
 nant, sed omni carent vigore, nisi in quantum cum alia-  
 rum radicibus cohærent adunatae sub terra, quæ affixas  
 succo quam maxime sibi convenienti nutriunt, ut *Mono-*  
*tropa hypopithys* & *uniflora* e radicibus *Pini* crescentes,  
*Afarum Hypocistis* e radicibus *Cisti* oriunda, *Orobanche*  
 e radicibus *Pisi* aut aliorum fruticum erumpens, *Cyno-*  
*moriū* & qua partem *Latibræa clandestina* & *Squamaria*.  
 Magna harum pars, præsertim earum, quæ tertio posui-  
 mus loco, id sibi habent singulare, quod foliis omnino  
 careant, & si forte rudimenta foliorum appareant, ut  
 plurimum colorata sunt, uti a Botanicis nuncupantur,  
 non viridia, veluti reliquarum folia, sine dubio a Sapien-  
 tissimo Creatore ita instructæ, quod sub umbra arborum  
 ortum ducant, nec in aprico sint positæ. Par quoque est  
 ratio plantarum in cellariis eductarum, vel quæ lumine  
 diei quavis alia ratione destituuntur, nimirum quod nul-  
 lam foliorum viriditatem præ se ferant. Plantæ vero  
 foliis viridibus instructæ, si loco quodam clauso, aut vi-  
 ridiario obscuro fuerint inclusæ, folia amittunt & pror-  
 sus nudæ evadunt; hinc *Hypocistis*, *Hypopithys*, *Oro-*  
*banche*, *Squamaria*, *Anblatum*, *Cynomorium*, maxi-  
 mam Botanicis movent admirationem, quod non uti re-  
 liquæ plantæ, viridibus instruantur foliis.

### §. III.

Tot inter plantas recentiori ævo detectas & admira-  
 tione dignas, CYNOMORIUM unica fere fuit, cuius  
 perspicacior contemplatio, ad investigandam & descri-  
 bendum

bendam structuram ejus singularem atque virtutem, attentiore me fecit; structura enim a reliquis gaudet diversissima, utpote quæ imaginem Fungi potius habet expressam, quam herbæ, ad quam tamen omni jure referri debet. Colorem habet, quoad omnes partes, rubicundum & sanguineum, qualem nunquam penes reliquas vidi plantas; virtutem ultimo si respiciendum, maximum efficacissimumque in Machaonica arte porrigit pharmacon, licet ad hunc usque diem in Pharmacopoliis nostris nondum visa, & quam plurimis Medicis nostris practicis adhuc ignota sit. Gratum itaque pariter ac operæ pretium duco, si tyrocinium quoddam medicum prima vice in lucem editurus, in gratiam Medicorum, maximumque ægrotantium commodum, plantæ hujus descriptionem memoriae vestræ L. B. ut ita dicam, refuscaverim, præsertim cum penuria librorum Botanicorum rariorum laborent plerique, quibus tamen carere nunquam potest Medicus, qui completam hujus plantæ sibi acquirere cupit notitiam. Evidem fateor librum hujus argumenti, a Michelio \*) editum, mihi quoque deesse, Italice idiomate conscriptum, cuius, omni licet diligentia exhibita, non compotem me fieri potuisse doleo, nescius an in Patriam unquam fuerit inventus. Hujus vero defectum supplere conabor, exacte colligendo ea, quæ nobis reliqui Auctores hac de planta tradiderunt, & censuræ sistam specimina a Præfecto Insulæ Melitensis cum Nob.

---

\*) P. A. MICHELII Relazione dell' erba detta da botanici Orobanche, e volgarmente succiamela, fiamma, e mal d' occhio, che da molti anni, in qua si è soprattutto propagata quasi per tutta la Toscana; nella quale si dimostra qual sia la vera origine di detta erba, perché danneggi i legumi, e il modo di estirparla. Firenze, per li Tartini. 1723, in 8:vo.

N. D. PRÆSIDE, & Hujus iterum indultu mecum comunicata.

§. IV.

SYNONYMA.

Ut dilucida primum gaudeamus hujus plantæ notitia, Synonyma inquirenda & colligenda sunt, quorum ope hanc ab aliis facilius distingvere possumus.

Notantur vero imprimis sequentia:

CYNOMORIUM coccineum. Spec. plantar. pag. 970.

Cynomorium purpureum officia. Mich. gen. 17. tab. 12.

Fungus mauritanicus verrucosus ruber. Petiv. gaz. 60. tab. 39. fig. 8.

Fungus typhoides coccineus tuberosus melitensis. Bocc. mus. 2. pag. 69 tab. 56.

Fungus typhoides coccineus. Dol. pharmac. 64.

Fungus typhoides liburnensis. Till. pis. 64. tab. 25. Bocc. physic. 56. tab. 4.

Fungus melitensis. Mat. med. 534. Aet. Bononiens. 1. pag. 158.

Melitensis Heeritz tal General.

Mauritanis Turtooths Bargasham.

Trapanensis Sanguinaria.

§. V.

GENUS.

Quo clarior plantarum evaderet cognitio, Botanicis maxima fuit cura, distinctam uniuscujusque plantæ notam characteristicam sibi acquirere, quam partium fructificationis universalium descriptione assecuti sunt. Est vero fructificatio nihil aliud, quam planta interna sponte se pandens, & papilionis instar, larvam sive pupam, intra cuius cancellos inclusa fuit, sese exuens & perfectam demum atque nudam, in speciei sui multiplicationem, sese ostend-

ostendens. Interna hæc unius cujusque structura eadem est, qua plantæ non tantum optime a se invicem dignoscuntur, sed & proximam earum formam, affinitatem, proprietatesque demonstrat. MICHELIIUS in Generibus Plantarum pag. 17. tab. 12. primus fuit, qui plantæ hujus fructificationem exactius perscrutatus est, & exinde distinctum formavit genus. Verba Auctoris hæc sunt: **CYNOMORION** est plantæ secundariæ, aut parasiticæ genus, quemadmodum in libello nostro de Orobanche Florentiæ anno 1720. in lucem edito tradidimus, quod aliarum stirpium radicibus innascitur, & alitur, ut Anblatum, Clandestina, Hypopithys, Orobanche & similia; initio squamis densissimis tectum, postea dum incrementum acquirit, & ad magnitudinem suam pervenit, Iquamarum agmina inter se paullatim dilatantur, foliolis intra Iquamarum spatum creberrime vestitum, inter quas emergunt flores monopetali, anomali, vomeris aut cunei turbinati forma, ex una parte cavi, altera vero convexi, stamine crassiori, apice biventi instructi, sed steriles, & calyce earentes. Embryo vero ab eisdem floribus vix se junctus, tuba donatus, & foliis plantæ, tamquam calyce obvolutus, abitque deinde in subrotundum semen.

N. D. PRÆSES hac Michelii descriptione & figura nixus, in Generibus Plantarum Lugd. Batav. 1737, vel editione prima N:o 702. suum sistit characterem, ita expositum: **CYNOMORIUM. Mich. 12.**

\* *Masculini flores in amentum cum femineis digesti.*

**CAL.** Amentum erectum, undique imbricatum, compositum *Squamis* unifloris, oblongis, erectis, truncatis, inferne angustatis, hinc gibbis, inde cavis.

**COR.** nulla.

**STAM.** Filamentum unicum, firmum, rectum, squama calycina longius. *Anthera* didyma.

\* *Femi-*

\* Feminini flosculi masculinis mixti, in eadem plan-  
ta, vixque ab iis remoti.

CAL. Amentum commune cum masculis.

Flosculi squamula nulla excepti, præterquam a foliis  
plantæ, vices squamæ gerentibus.

COR. nulla.

PIST. Germen globosum. *Stylus* unicus, erectus, firmus,  
patens, longitudine squamæ calycinæ. *Stigma* obtusum.

PER. nullum.

SEM. unicum, subrotundum.

Postquam vero N. D. PRÆSES plantam acceperat  
exsiccatam, aqua tepida calefecit illam, qua emollita mol-  
lis ac succosa evasit, & tanquam nuper nata, hinc dete-  
git, Michelium in ea describenda, ad minimas partes  
haud attentum fuisse, quare etiam N. D. PRÆSES in ul-  
tima *Generum Plantarum* editione, *five quinta*, sub N:o  
922, eundem characterem sequenti modo emendavit.

CYNOMORIUM. Mich. 12. †

\* MASCULI flores in amentum cum femineis  
digesti.

CAL. Amentum erectum, clavatum, undique tectum  
flosculis. *Perianthium proprium tetraphyllum*; Fo-  
liolis tribus clavatis; quarto inferiore majore, ob-  
tusissimo, canaliculato.

COR. nulla.

STAM. Filamentum unicum, firmum, rectum, squama  
calycina longius. *Anthera* didyma.

\* FEMINEI flosculi masculis mixti, in eadem plan-  
ta, vixque ab iis remoti.

CAL. Amentum commune cum masculis. *Perianthia pro-*  
*pria* foliolis quatuor, clavatis, tuberculatis, germi-  
ni insidentibus, æqualibus, persistentibus.

COR. nulla.

PIST. Germen ovatum, sub perianthio. *Stylus* unicus,  
erectus,

erectus, firmus, patens, longitudine squamæ caly-  
cinæ. *Stigma obtusum.*  
PER. nullum.

SEM. unicum subrotundum.

Obs. Vidi etiam flosculos hermaphroditos monandros,  
reliquis immixtos.

Quo Auctores Botanici characteres genericos eo facilius determinarent, cuicunque generi propria imposuerunt nomina, quam ob caussam Michelius hanc quoque plantam CYNOMORION dixit, ut ipse refert a Canis genitalis similitudine, quia plantæ figura penem canis qualiter cunque referat.

Unica tantum species hujus generis nobis adhuc cognita est, vanum itaque duximus, differentiam quandam adferre specificam. Evidem novi *Tillium* in horto Pisano hæsitasse, annon inter plantas ad inferiora Europæ & superiora Africæ crescentes, plures generis hujus species existerent, cuius rei asserti eo minus subscribo, quo certius mihi perswasum est, unam eandemque plantam, secundum varias ætates, valde mutari, adeo ut in prima ætate caulis in totum squamulis tegatur, quas demum, maturescente fructu, ad ipsam usque spicam coarctat & sæpe dejicit. Epitheton illud τὸ *Coccineum* plantæ huic, ut *nomen Triviale*, in Speciebus plantarum attribuitur, certe, ob ruborem totius plantæ, præter id, quod recens adhuc violenter pressa succum reddat sanguineum. *Fungus Melitensis*, ut nomen ejus Pharmaceuticum forte adoptari possit, fungus tamen non est, licet a Botanicis, qui primi eam perspexerunt, hocce nomine insignita fuit, quod nomen ab omnibus Botanices parum gñaris, communiter est receptum. Præterea in genere notandum est, nomina Pharmacopæorum, licet alienissima, valere ut nummi, ex consensu dantis & accipientis.

EX 39 19 ( 33 )  
§. VI.  
DESCRIPTIO.

RADIX fere nulla, sed caulis quasi immediate radicibus aliarum plantarum infixa; interdum juxta basin exserens aliquot fibrillas simplicissimas, quemadmodum bulbosa nonnullae supra bulbum.

CAULIS communiter semipedalis est, erectus, solidiusculus, tenax, crassitie digitii, & cum adhuc junior squamis ovatis, acutis, imbricatis, albis tectus, quas circa florescentiam maximam partem exuit, deponit aut contrahit, ut fere nudis sit, rugosus, inæqualis & totus, postquam exiccatus, purpureus, quas tamen sub terra retinet. Ceterum simplicissimus est caulis, seu scapus & ramis omnibus destitutus.

SPICA caulem terminat, saepe longitudine ipsius caulis, sed crassitie dupla ex bracteis seu squamis ovatis, purpureis, densissime imbricatis, in quarum sinu flosculi sessiles haerent. Structura ut in charactere dicta.

In Actis Bononiensibus sat adæquatam plantæ hujus descriptionem habemus: In altitudinem surgit palmarem, pediculus crassitie unciam unam æquat, longitudine tres, quatuorve; capitulum vero paullo crassius est, ut minoris typhæ palustris clavam videatur referre. Ubi ad maturitatem venit, innumerabilibus granis, panicco similibus & coccinei coloris adspersum est, at si digitis prematur, sanguineus fere succus exstillat.

RAJUS descriptionem suam e BOCCONE de plantis Siculis desumtam sic profert: Palmaris est altitudinis, interdum major, fungum nondum explicato capituli disco plane referens. Pediculus uneialis est crassitudinis, tres aut quatuor uncias longus, scaber, fungosus; capitulum etiam ipsum fungosum, pediculo paullo crassius, minoris typhæ palustris clavam aliquatenus representans, quod dum viret, si digitis premas, veluti sanguineum succum fundit.

B

Per

Per maturitatem granis mininis innumeris exasperatur, undique cocci colore splendentibus. Æstatis munus est, aliis tempestatibus temere & frustra quæsteris. Fotia tenuissima primo nascenti adesse, atque maritimis fluctibus continue irrigari dicuntur.

FIGURAM a Michelio desumimus, qui optimam & ad vivam plantam delineavit.

### S. VII.

### LOCUS.

Locus vel Patria teste TILLIO non procul distat a littoribus maris mediterranei, inventa quoque est in oris Mauritaniae, super radices Lentisci, Myrti, aliorumque fruticum, & suffruticum parasitica. In Sicilia ut Drepani, per Lampedosam atque Melitensem insulam, specialiter in scopulo adjacente, vulgo Scoglio del generale, etiam provenit, ubi super Halimum, seu Portulacum marinam C. B.; Nunc vero circa portum Labronis, sive Liburni, super radicem Cali, sive vermicularis marinæ arborescentis J. B., fuit detectum in valetudinario veteris aggere ad meridiem, in prospectu pontis nuncupati, ille ponte delle due Scale, in quo ad palmarem, sesquipalmarem, quandoque vero ad cubitalem altitudinem, inter Novembrem, & Martium menses crescit, ibique decidente semine se propagat. Ceterum in Insula Melitensi observata fuit planta a Bocccone, nec non in Drepani & Lapidosa insulis, ac in regno Tunetano, eandem etiam in Mauritania habuit Petiverus. Anno 1719. in littore Liburnensi, & deinde in Hetruriæ maritimis prope Pisanum, non procul a valetudinario observatus est. At vero BOCCONIUS refert quod primum credebatur Melitæ propria planta, sed quod postea fuerit lecta in insula Favignana, ad salinas Trapani, & in insula Ronciglio,

nt & Tuneti, imprimis in locis maritimis aqua salsa irratis, ubi germinat Decembri, aut Januario, floret Aprili, aut Majo, maturescit demum Julio, *substantia carnosa* Fungis terrestribus duriore alba, sed exsiccatione coccinea; Adspontatur facilime ex insula Ronzillo ubi copiosissime crescit.

Nobilissimus Dn. Corvinus nostras, Capitaneus clas-  
sis navalis, ante annum e Melita redux, & qui plantam  
secum adduxerat ad N. D. PRÆSIDEM, fidem nobis  
fecit, quod unico tantum loco in insula Melitæ adhuc  
crescat, & quod Præfectus hujus insulæ eandem militibus  
custodiendam curet, ne adeo præstans pharmacum ibidem  
penitus eradicetur & extirpetur, quod Magnatibus mu-  
neri offerre solet. Nulli dubitamus, quin Medici, qui-  
bus salus generis humani curæ cordique est, hanc plan-  
tam sint conservaturi, non solum per totam Italiam, ubi  
sponte crescit, sed etiam per alia loca radicibus aptis di-  
lata serant, ut non solum ipsis, in usum medicum, ejus  
sat sufficiens sit copia, sed etiam ut quam primum eam,  
ad dissipissimas usque regiones transvectam gaudeamus.

### §. VIII.

#### QUALITATES.

Planta hæcce succum non solum continet rubicun-  
dum, verum etiam quanta quanta rubra est, si exfice-  
tur & pulverisetur, *saporis stiptici* \*) esse sentitur. Præ-  
terea nullum ex ea persensi odorem, unde conclu-  
do, eam non in nervos, sed in fibras, massamque san-  
gvineam agere,

B 2

§. IX.

\*) *Saporis amaricantis stiptici*, lingvam adstringen-  
tis cum austoritate mucilaginosa. Bocc. mus.

et illa supra viximus §. IX. ut ratiq[ue]m annuit 33 ad  
tunc obsumis eus indeq[ue]G. tunc id est etiam  
sit uideat, oīl mūlūl tunc id est, oīl mūlūl alīq[ue]  
**V I S.**  
Plantæ RUBICUNDÆ, ut *Radix tormentilla*, *San-*  
*guis draconis*, *Catechu*, *Rumex sanguineus*, *Baccæ*  
*Rhois*, acidum plerumque continent, quod terrestri ab-  
sorptum, vertitur in austrum, quare etiam a Medicis  
in variis PROFLUVIIS SANGVINIS communiter adhi-  
bentur, quarum tamen omnium nulla adhuc detectarum,  
ad profluvia sedanda, majorem sibi palmam arripuit.  
Ad confirmandam singularem ejus virtutem in Hæmor-  
rhagia, Dysenteria, variisque profluiis sanguineis, pul-  
veris 3j in vino rubro assumto, id adferre necessarium  
duxi, quod *Bocco de plantis Sic. ip. 82.* de ea refert, quod  
scilicet adstringat maxime, unde ei præcipua laus in co-  
hibendis sanguinis profluiis, cuius gratia Melitenses ex  
Gaula insula illius in pulverem soluti scrupulum aut am-  
plius vino vel juseculo dilutum hauriunt, ducta a majoribus  
hac nunquam fallente medicina. Quod ulterius  
idem *Bocconus in Museo pag. 69.* diffuso dicendi genere  
explicat, e quo primaria libabimus:

## §. X.

## U S U S.

Hanc herbam refert *Bocco* in Regno Tunetano contra  
**DYSENTERIAM** expertissimum esse medicamentum,  
cujus mentio inter primos facta fuit a J. Fr. *Habela de*  
*Melita*, sed pauca; J. *Lahafii* & J. *Ferrantes* af-  
severarunt Syrupum hujus fungi ad Uncj et melita Syracu-  
sam allatum, aut pulveris 3j Dysenterias specifica facul-  
tate sustulisse, J. *Zammit* ejusque Discipuli Fungum  
summæ efficacie in Dysenteria vix ac ne vix unquam  
fallente experimento deprehendebant.

In ulceribus CACHOËTICIS pulverem magnopere commendat.

In SCELOTYRÆ fluentibus gingivis pulverem dentifricium ex hoc fungo cum saccharo, moscho, ambra, summis extollit laudibus.

In VOMITU CRUENTO pulveris drachmas tres, in tres partes æquales divisi, & in aqua assunti, nobisissimam uti Medicinam, de prædicat Bocco.

Feminæ gravissima HÆMORRHAGIA UTERI laboranti, dedit unum fere in pulverem contritum fungum, quem munificentia Serenissimæ Reginæ habuit Nobilissimus Archiater D. D. ABR. BÆCK, Regii Collegii Med. Præses, idque summo cum successu, ut ex literis Ejus ad D. PRÆSIDEM datis, 1755 XI didici.

6

Observatio STANCARII de hac planta notatu dignissima ex Actis Bononiensibus Tom. I. pag. 158. desumpta, sequentia continet: Multa remedia ad suppressendum sanguinem, si qua parte ejus profluvium fiat, a medicis, vel antiquis, vel recentioribus proponuntur, in quibus illustria sunt opiate, alumen, vitriolum. Commendabantur etiam in eundem finem, & piscis eiusdem ossa, quem Hispani pisces mulierem vocant, e Brasilia advecta, & item ossa Hippopotami, & aqua Londinensis nescio quæ. Sed hæc quidem vel nihil posse adversus profluvia sanguinis, vel parvum in iis Præsidio esse Renbedius animadvertis. Accessit ad hæc Fungus melitensis quidam, quem, quantum scio, præter Paullum Bocconem graphice descripsit nemo, is eum thyphoidem coccineum melitensem nominat. Fungum hunc contra profluvia sanguinis valere plurimum melitenses putant; quare si quando sanguinem sistere opus habent, continuo hujus fungi pulverem vino, aut juscule dilutum bau-riunt, idque se a majoribus suis acceperisse ferunt. Eodem

nos

hoc fungo non ita pridem Bononienses medici uti cuperunt,  
 cum adhuc Academia in Marsilii aedibus celebrantur, cum  
 que usus, atque experimenta opinioni sic responderent, ut  
 facile hoc unum remedium ceteris omnibus sanguinem sup-  
 primentibus anteponeretur, res digna Joanni Antonio Stan-  
 cario visa est, quam suo studio, atque industria illustraret,  
 ne homines opportunissimo remedio minus doce, ut adhuc  
 faciebant, in posterum uterentur. Cum ergo his, quae san-  
 guinem suppressimunt, illud fere commune sit, ut intus sumi  
 sumere autem intus saepe oportet; quippe causa, propter  
 quam sanguis profluit, saepe interior est) sine noxa vix pos-  
 sint, propterea quod profluviū, nisi mutata sanguinis cra-  
 si, prohibere nequeunt; haber autem haec mutatio pericu-  
 lum; idcirco illa ex suprimentibus omnibus tutissima cen-  
 senda sunt, quae minime omnium crasin sanguinis mutant,  
 & profluviū prohibeant nihilominus. Constituit ergo Stan-  
 carius de præstantissimis quibusque suprimentibus, vitriolo,  
 alumine, melitensi fungo, aliisque periculum facere, ac  
 videre quam mutationem, alterationemque singula effice-  
 rent in sanguine e vena recens extracto; quidquid enim in  
 hoc fecissent, simile aliquid etiam in sanguine per venas  
 excurrente, si intus sumerentur, factura esse existimat.  
 Scimus Medicos ad hujusmodi conjecturas proclives esse. Ita-  
 que vasa paravit quinque vitrea, quorum singula unam san-  
 guinis unciam capere possent. In unum fungi melitensis pul-  
 verem conjecit semidrachmam; in alterum vitriolum, in  
 tertium alumem, in quartum alumem, & vitriolum simul,  
 in quintum denique lemen hyoscyami, & papaveris, & paul-  
 lum opii. Cumque ægro tertiana simplici laboranti inter-  
 missionis die sanguis forte mitteretur, singula deinceps va-  
 scula venæ sectæ subjecit, ut labentem sanguinem excipe-  
 rent, eoque implerentur. His repletis, reliquum extracti  
 sanguinis in sexto quodam vase est adseratum eo consilio,  
 ut ex hujus cum ceteris comparatione, quo in sanguine mi-  
 nor

nor mutatio secuta esset, appareret; quæ de causa vascula omnia seorsum, & quieto in loco sunt posita, observatoque, quo serosa pars sanguinis ab ea, quæ concrescere solet, melius, commodiusque separata esset, in sequentem diem rejecta. Quamquam res ipsa in opiatis antevertit; nam quo in vasculo opiate posita erant, in eo statim magna vis sanguinis a sero secreta est, cum contra in aliis conglutinari potius sanguis, & concrescere visus sit. Verum sequenti die Heraclito Manfredio, & Beccario ad observationem accersitis, hæc Stancarius animadvertisit.

In eo vasculo, in quo opiate inclusa fuerant, vis seri apparuit a sanguine secreta, non solum tanta, quantam supra dixi, sed multo major; eaque pene tota in gelatinam concreverat instar Cornu Cervi, vel etiam concreti illius, quod in sanguine illorum, qui pleuritide affecti sunt, solet observari, nam & color ad flavum, quamquam obscurius vergebatur, & constitutio ad polyposam fere accedebat, & superficies universa quadam quasi membrana obducta erat, quæ cultri anatomici vel acutissime aciem posset fugere. Quæ omnia eo diligentius animadvertenda sunt, quod non solum opiatorum in sanguine effecta demonstrant, sed etiam quid de illo concreto iudicandum sit, quod in sanguine pleuriticorum observatur. In eo vasculo, in quo vitriolum sumut, & alumen sanguini admixta erant, is in crassamentum concreverat non admodum durum, & sine ulla seri separatione. In tota superiori facie colorem præse fere rubrum ferebat, præterquam ea in parte, ad quam pulveres se se extulerant, ubi livida, duriorque concretio instar escharæ apparebat; idemque in fundo observabatur, ubi pulveres maximam partem considerant, quo in fundo licet sanguis non admodum durus esset, obscurus tamen totus erat, grumosusque. Atque hæc quidem alumen, & vitriolum conjunctim effecerant; separatim alia præstiterunt; namque in eo vase, in quod alumen solum conjectum fuerat,

rat, maxima seri vis a crassamento secreta, & crassamenteum ipsum obscurum, & durissimum est observatum. In eo vero, in quo vitriolum tantum repositum fuerat, modica seri portio secreta est, crassamentum quasi distractum, diuulsumque, & in quamplurimos grumos divisum, quorum non pauci escharae, quam supradiximus, praese concretiōne ferebant. In eo vasculo, in quo pulvis melitensis fungi continebatur, nihil novi accidit, quod in sanguine e vena misso accidere non oportet. Modicum erat serum, non nihil flavescens, crassamentum consistente mediocris, color vero ab ore vasis usque ad imum sic rutilus, & purpureus, ut hoc certe nomine videretur hic sanguis illi anteponendus, qui in sexto vase sine ulla pulveris admixtione fuerat conservatus, quique (nisi quod paullo minus seri secretum fuerat, quam e sanguine sano secerni solet) sic tere se habebat, quemadmodum si sanus fuisset.

Hæc omnia profecto ostendunt magnam in sanguine cum ex opiatibus, tum ex alumine, vitriolo mutationem sequi, ideoque his assumitis periculum subesse aliquod; ac si parem afferret melitensis fungus mutationem, par Jane metus esset in omnibus, sed quando illa mutationem afferrunt maximam, hic vero vel nullam, vel ferme nullam, minime dubitandum est, quin sit hic unus ceteris omnibus anteponendus. Hunc enim inter alia tutissimum esse, & existus ipse declarat, & ratio ab experimentis ducta confirmat.

Ex dictis & allatis observatorum testimoniosis sequitur, quod nulla planta, nulla Medicina, in hunc usque diem detecta magis laudabilem præstiterit effectum, quam hic fungus in variis Morbis evacuatoriis sanguineis, qua propter omni jure dignum censemus specificum officinis nostris medicis, ut frequentius in usum trahatur ad conservationem generis humani.

T A N T U M.





A. Åkerman Sculp. rit.

17. Oct. 1800. A.D.